

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7187

Autre(s) référence(s) : Round 1288

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Fontevraud-l'Abbaye, Notre-Dame de Fontevraud (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1172-1177]

Lieu d'émission : Angers

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation aux religieuses de Fontevrault du Pont-de-Cé et des coutumes de Brissac.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Introduction, Paris, Imprimerie nationale, 1909, p. 262 (extrait).

b. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DIII, t. 2, p. 53-57.

Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 1288.

Dissertation critique

« 1172-1173–1177 (probablement 1177) » : sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 2, p. 54. Geoffroy, évêque d'Angers, et d'Étienne, évêque de Rennes, morts en 1178 ; Henri II a passé à Angers la fête de Noël 1177. Cet acte, qui porte la formule *Dei gratia*, n'est pas antérieur à 1172-1173.

Texte établi d'après b

H., *Dei gratia* rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus, ministris et omnibus fidelibus suis, salutem. Sciatis me concessisse et dedisse et presenti carta mea confirmasse Deo et #cclesi# Beat# Dei genitricis Mari# de Fonte Ebraudi, et monialibus ibidem Deo servientibus, pro salute anime mee et antecessorum et successorum meorum pontem Saeii, ita liberum et quietum sicut aliquis antecessorum meorum eundem pontem ipsi #cclesie melius et liberius concessit habere ; vicariam etiam ejusdem pontis, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus ad com[item] And[egavorum] pertinentibus concedo eis et confirmo.

De furto autem et sanguine et raptu et de aliis omnibus forisfactis concedo eis justiciam et omnem questum, retenta mihi per baillivos meos executione justicie de vita et membris, cujus questum omnimodum do eisdem et concedo, et id mihi non retinui, nisi quia non est religiosarum personarum de vita vel membris quemquam judicare.

Sunt autem he consuetudines ejusdem pontis: pro equo et bove et vacca que trans pontem ad pascua ducuntur, excepta valeia comitis, solvet pertransiens unum denarium, et quieta erit per annum integrum et unum diem.

Concedo etiam eis consuetudinarias caritates quas servientes Fontis Ebraudi ad pontem Saeii residentes de urbe And[egavis] et de aliis locis ab #cclesiis quibusdam et aliis locis percipere solent et debent, scilicet: de Sancto Mauricio in tribus festis, Pasche videlicet et Omnium Sanctorum et Natalis Domini, in unoquoque festo duos panes, lagenam vini et duos denarios, et tres minas frumenti pro mestiva apud Daocias. De Sancto Albino, in predictis tribus festis, similiter duos panes, unam lagenam vini et II. denarios, et pro mestiva unum sextarium frumenti apud Mairon ; apud Allodia I. sextarium frumenti ; apud Chaugeium unam minam siliginis, apud Sanctum Remigium de Varena, I. sextarium siliginis. De Sancto Nicolao, in eisdem festis, II. panes, lagenam vini et II. denarios, et pro mestiva unum sextarium frumenti apud Mosterolium Berlai, et in Landa Verchei I. minam siliginis. De Sancta Trinitate Aquarie, in tribus festis predictis, duos panes, lagenam vini et II. denarios, et pro mestiva I. minam frumenti apud Sanctum Saturninum in Tertro. De Sancto Laudo, in singulis jam dictis festis, II. panes, lagenam vini et II. denarios, et pro mestiva I. minam frumenti apud Listreium, de eo quod ibi tenebat Gaufridus Mainer[ii]. De Sancta Maria tantumdem panis et vini et nummorum in supradictis singulis festis, et pro mestiva apud Orginneium I. sextarium frumenti. De Sancto Martino, in sepe dictis festis, III. denarios et lagenam vini. De Sancto Johanne, pro mestiva ad boscum Briccii, I. sextarium frumenti. De Sancto Sergio, in antedictis singulis festis, II. panes, lagenam vini et II. denarios, et pro mestiva apud Sanctum Melanium I. minam frumenti, et apud Martinau I. minam siliginis. De Sancto Petro, pro mestiva apud Charceium, I. sextarium frumenti.

In omnibus aliis, tam in burgensibus quam in ceteris, capiunt sanctimoniales consuetudines suas libere in ponte, nec ullus liber est a consuetudine, nisi sit de domo et mensa comitis. A Beira autem crescente usque ad Beiram Israel, quicquid ex transverso aque transierit talem reddet consuetudinem, qualem redderet si per pontem transiret. De modio vini redduntur IIII. denarii. Quadriga onusta, undecunque fuerit, duos reddet denarios. Judeus, XII. denarios. Concedo etiam eis et confirmo consuetudines de Brachesach, quas dominus Arcalos dedit ipsi ecclesie Fontis Ebraudi pro anima sua, concedente comite Fulcone. De omnibus rebus transeuntibus extra corpus castelli de Brachesach talis reddetur consuetudo ecclesie Fontis Ebraudi, qualis redderetur domino comiti si per castrum transiret.

Pro equo de Hispania, XII. denarios transiens persolvat. Pro omni alio equo, IIII. denarios. Pro equa, II. denarios. De asino, obolum. De porco, bove et vacca, pro singulis obolum. In tribus nundinis, scilicet ad Angevinam, ad Sanctum Nicolaum, ad Anditum, pro bove et vaca, I. denarium. Pro tribus ovibus, I. denarium. Pro tribus arietibus, I. denarium. Pro tribus capris, I. denarium. Pro pipere, XII. denarios. Pro cymino, XII. denarios. Pro omni specie aromatica, XII. denarios. Pro serica, XII. denarios. Pro pellibus omnium silvestrium animalium, XII. denarios. Pro panno in grana tincto, XII. denarios. Pro corduano, XII. denarios. Pro bazana, VIII. denarios. Carca cere, VIII. denarios. Pro pannis de Francia, VIII. denarios de singulis trossellis. Pro tacra coriorum, IIII. denarios. Pro corio tanato, I. obolum. Pro pellitaria parata, de singulis trossellis, IIII. denarios. De cruda, I. denarium ; si asinus tulerit, I. obolum. Summa olei, IIII. denarios. Onus mellis, IIII. denarios. Ostrearum, IIII. denarios. Summa balene, IIII. denarios. De omni pisce marino, summa, IIII. denarios, exceptis arentiis, sepiis et anguillis, quorum singula millenaria IIII. denarios reddent. Pro filtro tincto, trossellus VIII. denarios. Trossellus albi, I. denarium, si portaverit equus ; si portaverit asinus, obolum. Pro trossello de pannis Partiniaci, IIII. denarios ; si post tergum equitantis trossatum fuerit, II. denarios. Pro trossello pannorum de Berceria, II. denarios ; si post tergum equitantis, I. denarium. Pro trossello burellorum, I. denarium ; si asinus portaverit, I. obolum. Trossellus pannorum lineorum, I. denarium ; si asinus tulerit, I. obolum. De quadrigata salis, II. denarios. De quadrigata vini vel bladi, II. denarios. De equo onerato, I. denarium ; de asino, obolum. De trossello fustanii, VIII. denarios. De caseis, si quadriga tulerit, II. denarios ; si equus, I. denarium ; si asinus, obolum. De baconibus similiter. De ferro et acerio et kamba, et lana, et lino, et mairamento lignorum dolatorum similiter. De culcitra, IIII. denarios. Si mulier pergens ad maritum suum secum culcitram portaverit, ita quod possit eam videre, nichil reddet ; si absque ea fuerit inventa ante vel retro, IIII. reddet denarios. Si aliquis proprio collo sua mercimonia tulerit, nichil inde reddet ; si conductus portaverit, quasi summarius reddet.

Et quicquid extra castrum prefatum transierit, talem, ut predictum est, reddet consuetudinem, qualem si per medium transiret.

He sunt iterum consuetudines pontis Saeii que subscripte sunt, quas cum suprascriptis consuetudinibus ejusdem pontis ipsi ecclesie et sanctimonialibus concedo et confirmo. Quadriga, quicquid deferat, reddet ad pontem II. denarios, et vacua, I. denarium. Omnis summarius vel equus oneratus, I. denarium ; vacuus, si ad lucrandum proficiscitur, I. obolum ; cum vero redierit oneratus, alium exsolvet. Mestiva alicujus messoris non reddet nisi obolum a festo Sancti Johannis usque ad festum Sancti Michaelis, nisi quadriga deferatur, quia tunc reddet duos denarios. Equus vel equa, bos vel vacca, I. denarium. Asinus, porcus, I obolum. Quattuor oves, vel arietes, vel capre, I. denarium.

Omnes burgenses civitatis infra muros vel extra manentes eandem reddent consuetudinem de omnibus rebus, quam alii, his exceptis: De XI. denariis panis et de volucris, quas aliquis amico suo detulerit vel miserit, nichil reddet. De summa napium, et de his que aliquis homo transligerinus, miles vel alius, dans mestivam ponti, amico suo citra pontem miserit, accepta fiducia ab eo qui detulerit quod dono mittatur, nichil. De summa etiam fabe vel alterius leguminis, et de his que aliquis filio suo ad victum pertinentia miserit, carne videlicet mortua, pane, volucris, data inde fide, nichil. De porcis etiam qui ad pasnagium comitis solummodo transibunt, nec de bestiis que sola guerra comitis vel violentia alia transierint, nisi plus mense uno ultra pontem moram fecerint, nichil. In omnibus aliis capiunt sanctimoniales consuetudines suas libere in ponte.

Quare volo et firmiter precipio quod ipsa ecclesia Fontis Ebraudi et sanctimoniales in ea Deo servientes omnia predicta habeant et teneant bene et in pace, libere et quiete, integre et plenarie et honorifice, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis, sicut ea ipsis concessi et carta mea confirmavi.

Testibus : Guillelmo Cenomannensi, G. Andegavensi, Rotberto Nannetensi, Stephano Redonensi episcopis, Richardo et Gaufrido filiis meis, comite Willelmo de Mandevilla, Fulcone de Mastach seneschallo Pict[avensi], St. de Tur[onis] sen[eschallo] Andegavensi, Mauricio de Croun, Pagano de Vegg[ia], Gaufrido Perticensi, Petro Filio Guidonis, Willelmo de Ostilli, Durando Pincerna, Gilleberto Guarderobba.

Apud Andegav[im].